

constituat, qui approbari debet ab eadem superiori auctoritate.

XLIII. — Decurso dicto termino peremptorio absque effectu, censetur appellansem nuntium misisse appellationis beneficio, et haec consequenter perempta dictatur a superiori auctoritate.

XLIV. — Quum appellatio producitur a sententia alicuius Curiae Episcopalis ad Metropolitanam, Archiepiscopus pro cognitione et decisione causae, sequitur normam procedendi in hac instructione traditam.

XLV. — Si a iudicio Curiae Metropolitanae primae instantiae ad aliam Curiam appellandum sit, appellatio, ex speciali concessione S. Sedis (ut etiam in Instructione S. Cong. Conc. pro causis matrim. § 26 determinatum est) fiet ad Metropolitanum viciniorem.

XLVI. — Pro causis criminalibus ad S. C. EE. et RR. in gradu appellationis deferendis, eadem S. C. decrevit sub die 18 Dec. 1835, quod in decreto supracitato legitur.

XLVII. — Si contingat quod clericus, non obstante fori privilegio, ob crimina commissa subiiciatur processui et iudicio laicae potestatis, Ordinarius in hoc casu, summariam sumit criminosi facti cognitionem atque perpendit an ipsum, ad tradita per sacros canones, locum faciat infamiae, irregularitati, aut aliae ecclesiasticae sanctioni.

§ 1. — Donec iudicium pendeat, aut accusatus detentus sit, prudens est quod Ordinarius sese limitet ad media provisoria.

§ 2. — Expleto tamen iudicio, et libero reddito accusato, Curia iuxta exitum informationum superius assumptarum, procedit ad tramites dispositionum praesentis instructionis. (Append. n. 1).

## SECTIO II.

### DE CAUSIS MATRIMONIALIBUS

De effectibus matrimonii mere civilibus potestas civilis iudicat: ad Ecclesiam autem spectat iudicium de validitate ipsius matrimonii, et obligationibus ex eodem derivantibus. Ut vero in causis tanti momenti ea sedulitate, quam rei gravitas postulat, rectoque ordine procedatur, Concilium provinciale Antequerense statuit, ut ad tenorem tum Constitutionis Benedicti XIV *Dei miseratione* tum Instructionis editae a S. C. Concilii die 22 Augusti 1840. (Append. n. 3 et n. 4). Pro confectione processus in causis matrimonialibus, sequentes serventur praescriptiones:

I. — Processus conficiendus est, sub poena nullitatis omnium actorum.

II. — Causarum matrimonialium cognitio Episcoporum tantum iurisdictioni reservatur, seclusis quibusvis iudicibus inferioribus.

III. — Porrecta ab aliquo ex coniugibus instantia in scriptis, super nullitate matrimonii, Episcopus ipse vel iudex ab eo delegatus, defensorem matrimonii citari mandabit, quatenus in Curia Episcopali existat; sin minus, idoneum virum deputabit, qualitatibus praestantem in Const. Synod. Benedicti XIV requisitis. Defensor praefixa die iuramentum praestabit, et citandus est ad quaelibet acta, ne vitio nullitatis ipsa tangebant; ipsi acta processus etiam nondum publicati,

semper et quandocumque voluerit, erunt communicanda, eius scripta recipienda, ac novi termini, ut ea perficiat, eo flagitante, erunt prorogandi.

IV. — Tradet, die citationis praefinita, cancellario interrogatoria clausa et sigillata, ex decreto iudicis aperienda, illo postulante, ut super ipsis interrogatus coniux pro nullitate instans, respondeat.

V. — Pars examinanda, praestito iuramento de veritate dicenda, interrogabitur super interrogatoriis, ut supra dictum est, a defensore matrimonii exhibitis, et iudex audiet responsiones easque dictabit cancellario. Ex officio iudici licet eas addere interrogationes, quas ad veritatem eruendam magis aptas conspiciat.

VI. — Cancellarius debet, durante examine, interrogationes in processu ordinatim scribere, et post ipsas, responsiones a iudice dictandas, interrumpens, postea reassumpturus, ordinem progressivum interrogationum a defensore matrimonii exhibitaram, quoties ex officio aliquid interrogetur.

VIII. — Si examen una sessione absolvi nequeat, iudex illud suspendet, alio die destinato pro eius re-assumptione et prosecutione.

VIII. — Absoluto examine, Cancellarius legit clara voce responsiones datas, quas examinato licet variare et declarare, et postea cum iudice et defensores subscribet, et si fuerit illiteratus, per signum Crucis, antea praestito iuramento se vera dixisse, atque numquam, ante publicationem processus, sive interrogationes, sive responsiones evulgaturum.

IX. — Ante publicationem processus poterit pars examinata articulos proponere, super quibus, citato defensore, alter coniux erit examinandus, et quatenus etiam ab hoc articuli proponantur, super iis coniux qui

primus fuerat interrogatus, adstante defensore, audietur. Haec norma servanda est in quovis alio examine.

X. — Post examen coniugis promoventis nullitatis querelam, sequitur examen alterius, sub iisdem interrogatoriis actori propositis, vel aliis additis, vel novis confectis, prout defensor matrimonii in Domino censuerit.

XI. — Deinde procedendum erit ad examen *septimae manus*, hoc est, septem propinquorum ex utroque latere si fieri potest; sin minus, septem vicinorum bonae famae, quos partes indicent, et qui, audita lectura examinis seu confessionis coniugis eos adducent, delatoque prius iuramento, seorsim erunt interrogandi, utrum perspectam habeant religionem et honestatem illius coniugis, ut propterea credant eum vera dixisse. Liberum est coniugibus, itemque defensori, alios bonae fidei testes inducere, methodo praescripta examini subiiciendos.

XII. — Testes in aliena Dioecesi degentes, qui commode ad civitatem accedere nequeant, ad instantiam partis vel defensoris, erunt examinandi ab Episcopo Dioecesis, in qua morantur, iuxta interrogatoria ab eodem defensore clausa et obsignata transmittenda, deputato etiam ab Episcopo idoneo viro qui expleat munus defensoris et examini adsit.

XIII. — Omnes vero testes congrua congruis referendo rogandi erunt, prout iudici conveniens videbitur, attentis cuiuscumque casus adiunctis.

XIV. — Si querela super impotentia versatur, prae oculis habenda erit Instructio S. C. Concilii edit. 22 Aug. 1840.

XV. — Quatenus nulla probatio exquirenda videatur, iudex edit decretum a seipso, a defensore et a

cancellario subscriptum, publicandi processum, cuius acta ante publicationem nemini nisi defensori matrimonii erunt communicanda.

XVI. — Post publicationem processus locus erit defensoribus.

XVII. — Liberum etiam erit defensori matrimonii novas probationes exquirere:

XVIII. — Omnibus absolutis, sententiam proferet Episcopus vel delegatus.

XIX. — Si nullitas matrimonii decreta fuerit, defensor matrimonii appellare debet ad iudicem superiorem, ad quem deinde transmittenda sunt acta in copia authentica.

XX. — Si in secunda sententia, aequae ac in prima, nullum ac irritum matrimonium iudicatum fuerit, et ab ea nec pars, nec defensor crediderint appellandum, vel appellationem interpositam deseruerint, poterunt coniuges novas nuptias contrahere, nisi alicui eorum ob impedimentum aliquod id vetitum sit. Firmum tamen remanet privilegium causarum matrimonialium, quae ob cuiuscumque temporis spatium numquam transeunt in rem iudicatam, semperque possunt in iudicalem controversiam revocari. Si vero, pendente appellatione, coniuges audeant ad alia vota transire, poenis subiiciuntur contra poligamos statutis.

XXI. — Causa in secunda, tertia vel quarta instantia cognoscatur, servatis diligenter omnibus quae in prima demandata fuerunt.

XXII. — Pro dissolvendis matrimoniis, quae uti talia ab Ecclesia non habentur, quippe quae in eius facie celebrata non sunt, necesse haud est inhaerere Constitutioni Bened. XIV *Dei miseratione*.

## APPENDICES

### NUM. I

#### INSTRUCTIO

pro ecclesiasticis Curiis quoad modum procedendi  
oeconomice in causis disciplinaribus clericorum.

Sacra haec EE. et RR. Congregatio, mature praesenti Ecclesiae conditione perpensa, quae pene ubique impeditur, quominus externe explicet suam actionem super materias et personas ecclesiasticas, et considerato quoque defectu mediorum aptorum pro regulari Curiarum ordinatione, constituit facultatem Ordinariis locorum expresse concedere, ut formas magis oeconomicas adhibere valeant in exercitio suae disciplinaris iurisdictionis super Clericis. Ut autem tota iustitiae ratio sarta tectaque maneat, serveturque processuum canonica regularitas et uniformitas, opportunum censuit sequentes emanare normas, a Curiis servandas.

I. — Ordinario pastorale onus incumbit disciplinam correctionemque Clericorum a se dependentium curandi, super eorumdem vitae rationem vigilando, remediisque utendo canonicis ad praecavendas apud eosdem et eliminandas ordinis perturbationes.

II. — Ex his remediis alia praeveniunt, alia reprimunt et medelam afferunt. Priora ad hoc diriguntur ut impediant quominus malum adveniat, ut scandali